



18
4, 401
1783 10

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T.
DECANVS

IOANNES CAROLVS GEBHARDVS
REINHARDVS D.

PROFESS. IVRIS FEVDALIS CVRIAE PROVINCIAL.
IN LV SAT. INF. ET FACVLT. IVRID. ASSESS. ORDIN.

LECTVRIS

S. D. P.

De Tafallo abhente...

1783

ORDINIS IURIDICI

ACADEMIA VITENBERGENSIS

DECANVS

IOHANNES CAROLVS GERHARDVS
RIBINHARDVS D.

PROFESSOR IURIS PVDALIS CVRIAE LEONINCIENSIS
ELEVATVS IN SENATVS FACVLT. IURID. ASSVS. ORDIN.

LECTVRIS

E. M. N.





Acturus de vasallo absente, aut sterile litus arare, aut cramben multifariam coctam recoquere forte videbor. Idem enim prope est vasalli absentis, ac reliquorum, periculum, idem legum auxilium atque fauor. Malo tamen, contentus exiguo spicilegio, hac prolusione coniunctam, vt fere mos est, disceptare causam, quam vberius quaerendo argumentum, rem proponere plane peregrinam et ita quadrata admiscere rotundis. Vasalli absentis varia in variis euentibus notio est. Vt enim, qui abest in iure ^{a)} et a tribunali ^{b)} absens dicitur, ita vasallus, qui abest a curia domini, pro absente habetur. Non enim est, (ita describitur absens in doctrina tutelari ab Vlpiano ^{c)} eo loci, in quo loco petitur. Coercet ita dolo absentem vasallum, quem officium vocat ad curiam, vt vel inter pares sit, vel inuestiturae peragat renouationem, vel denique vt citationi domini morem gerat, non quidem sanguine, quem nunquam fitit, poena tamen satis acerba, amissione scilicet feudi, ius clientelare. Vocatur et vasallus absens, vt in vsucapione legibus romanis ^{d)}, qui in prouincia non est.

32

a) l. 4. §. 5. D. de damno inf.

b) l. 51. §. 5. D. de fideic. libert.

c) l. 199. D. de V. S.

d) l. vlt. C. de praescript. long. temp.

est. Contingit hoc, quaestiones si suboriuntur, num vassallus absens, quod in territorio clauso affirmatur, sit domini subiectus, an igitur debeat actione tam personali quam reali mota, forum domini agnoscere, quomodo possit citari, quis sit contumaciae effectus, et an possit delinquens puniri. Sic et furiosus absentis loco est ^{e)}. Vassallus ita absens aequae curae est subiiciendus, hic, si officium laedit, feloniae non est reus, sed et ipsum fati excusat infelicitas ^{f)}. Absentia haec superueniens possessione feudi non priuat, neque, cum vitium non iuris, sed facti sit, filiorum obest successioni, omnino tamen, quominus absens ipse in feudum regale et non regale succedat ^{g)}, impedit. Frequentissime vero vassallus absens appellatur is, qui latet, cuius fara, vitam et domicilium ignoramus. Obuius est hic significatus, si absenti curator est dandus, dilatio, *Indult*, si pro eo est perenda, si de banno vassalli vel eius morte praesumpta quaestio est. Huius absentiae effectus, cum in reliquis otium mihi fecerit turba scriptorum feudaliū, paullo penitus anquirendum esse arbitror. Discedit e patria vassallus, vel filius ex inuestitura parentis, qua comprehenditur ^{h)}, successione spem habens proximam, vel denique simul inuestitus, aere forte alieno pressus, aut criminis conscius, poenae metuens atrocitatem, aut rerum peregrinarum studio, aut alia quacunque causa ductus; procuratorem non relinquit generalem. Administrandum est praedium, tuenda ipsius iura, lites prosequendae. Turbatur interim nexus feudalis mutatione, redintegrandum est renouatione inuestiturae. Dandus est curator, qui hisce negotiis supersit; publice enim vile est, abientes defendi ⁱ⁾. Silent prope leges scriptae hanc curam, quam magis introduxit consuetudo, anomalam satis atque extraordinariam. Defertur enim haec cura intuitu bonorum allodialium successione proximis, feminis imo infantibus, nec data est absenti iure communi tacitae hypothecae securitas ^{k)}. Sed cui dabitur administratio feudi? Ambiguus

e) l. 124. D. de R. I.

f) sunt verba Modestini l. 12. D. ad l. Corn. de fideiuss.

g) II. Feud. 36. I. P. S. L. I. cap. IV. A. B. c. XXV. §. 3.

h) R. l. M. de ao. 1764. Tit. VII. §. 3.

i) l. 33. §. 2. D. de Procuratoribus.

k) Carpz. Dec. CXXXV.

guus haeret celeberrimus Leyserus ^{l)} magis tamen ratus, quaestionem pro herede, quam pro successore singulari esse decidendam. Alii hanc curam agnato absolute esse deferendam arbitrantur ^{m)}. Quid hac de sententiam, breuiter exponam, vtriusque sententiae praestruens argumenta. Rationes quae Leyserum, vt heredi faueat, mouent, sunt ipsa huius curae anomalia et rationum reddendarum incommodum et difficultas. *Cura haec, inquit, et administratio bonorum absentis prorsus irregularis est et a cura minorum aut furiosorum exorbitat. Apparet hoc satis ex eo, quod cura absentis feminis et infantibus deferatur, quod in ea ius tacitae hypothecae cesset.* Verum est, fateor, sed indene fluit, hanc curam in vno anomalam in omnibus esse irregularem? Mulieres admittuntur et infantes. Hoc sane probat, mores in deferenda hac cura adhuc magis fauere successori proximo, quam leges in cura legitima furiosorum. Euerteretur omnis regula, si in deferenda hac administratione non ad ius successionis, sed ad praecipuum idque haud raro imaginarium candidati commodum vellemus respicere. Fructus lucratur, absente vasallo, heres et ipsi, nisi absens redeat, rationes sunt reddendae. Hinc praec aliis eius interesse credit vir summus, bona recte administrari. Magis sane interest successoris singularis, imo ipsius domini directi, ne ipsum feudum, male administrando deuastetur, atque reddatur deterius. Male profecto administrat, qui magis pro augendis fructibus, quam pro ipsius fundi conseruatione laborat, et saepius ita praedio, sylvarum abusu, vel aedificiorum omissa tempestiua refectione, vel nimia in subiectos saeuicia irreparabile contraheretur damnum, cum e contrario heredi allodiali per cautionem idoneam plerumque satis prospiciatur. Interest quam maxime domini administrationem esse in manibus eius, quem proprium commodum conseruatio rei, in quam habet proximam succedendi spem, ad bene gerendum inuitat; quique in propria saeuiret viscera, praedium feudale si redderet deterius. Redeunt eo argumenta eorum, qui potius esse ius successoris singularis, quam heredis esse credunt, vt in deferenda hac cura imitemur curam legitimam eaque iis competat, qui habent spem succedendi proximam ⁿ⁾. Neutri, fateor, opi-

a 3

nioni

l) Spec. XCVII. m. VII.

m) Franc. Carol. Conradi de cura feudi absente vasallo successoribus beneficiariis proximis competente Lips. 1723. tit. Meuius P. II. Dec. 13.

n) l. 5. C. de curat. furios.

nioni possum calculum adiicere, in re tam arbitraria, ratus, domino competere arbitrium directo. Domini est, dare vel confirmare tutorem feudalem vel curatorem, neque tutor ab alio datus magistratu, nisi a domino confirmatus, potest beneficii administrationem gerere. Est enim haec datio actus iurisdictionis feudalis, seu, si maus, supremae tutelae, cuius quidem rei fundamentum, non nisi a rei clientelaris plane imperito, potest in dubium vocari. Fuit olim, ut inter omnes constat, tutela domini legitima eaque fructuaria^{o)}. Hic vel ipse fructur, vel alium de feudo ad tempus vsque pubertatis feudalis inuestiebat. Carebat, saluis tamen alimentis, quod indoli feudi optime respondebat, fructibus impubes, idque sine iniuria, quia ad militiam inhabilis non poterat consequi stipendium. Saepius tamen ab hac fructuaria tutela dominos abstinuisset et vel gratis vel pro certo onere impuberi reliquisset fructus, certissimum est. Ita intelligendum esse puto locum iuris prouincialis^{p)}, de tutela agnatorum legitima eorumque officio heredibus pupilli de fructibus feudi quotannis rationes reddendi Hunc textum casum, ubi dominus ipse fructuariam exerceat tutelam, vel de ipso feudo tutelari agnatum inuestierit, excludere, potius consensus domini in tutelam ab agnato in commodum ipsius impuberis exercendam praestruere, ipsa rei ratio docet. Non enim rationes sunt reddendae, si tutela est fructuaria, vel tutor dominium utile exercet. Quae cum ita sint, prono alueo fluit, agnatum ad tutelam gerendam intuitu feudi non ius ex lege proprium habere, uti nec ius in Saxonia succedendi habet, sed tutelae feudalis omne robur in datione domini latere. Dominus haud raro, postquam ius romanum in rem clientelarem irrepit, vasalli voluntati indulgens, et tutorem testamento, vel qui mos in Germania antiquior est, pacto datum confirmat, imo saepius matrem, cui fere olim eadem ac patri fuit potestas^{q)}, adiuncto alio tutore, vel agnatum proximum admittit. Sed hoc magis ex gratia domini, quam iuris vinculo fluere, certius est. Non enim ius vasalli testandi de tutela suae rei, nec de hac re paciscendi, nec ipsum ius sanguinis agnatorum admodum firmis nititur fulcris, potius hic
magis

^{o)} vetus auctor de beneficiis §. 67. I. F. S. §. 26. I. P. S. Lib. II. art. 58.

^{p)} lib. I. art. 23.

^{q)} Heineccius El. iur. Germ. Lib. I. §. CCCLI,

magis proprio domini commodo, et integritati feudi prospiciendum est, quam consulenda vasalli voluntas, imo ipsa pupilli salus. Haec si vera sunt intuitu tutelae feudalis et sunt profecto verissima, multo minus nec agnato proximo, neque heredi, neque successori simul inuestito ius, nisi ex datione domini, firmum competit gerendi administrationem feudi vasalli absentis. Sic metuendum vix est, ne dominus heredem, quem lucri dulcis odor omnino reddit suspectum, ad administrationem, per tantum plerumque temporis spatium gerendam, obtrudi sibi patiatur. Huic liberrimo in eligendo curatore absentis vasalli domini directi arbitrio fauere videtur constitutio feudalis nouissima *) verbis und fömnen im übrigen für Unmündige, Abwesende und dergleichen Personen nicht allein die Vormünder, oder deren Eltern und Geschwister, sondern auch derselben Agnaten und Mitbelehnte um Indult bitten. Oppido hic a curatoribus distinguuntur Eltern und Geschwister, ceu proximi heredes allodiales, et agnati simulque inuestiti, unde, hos illosue saepius praeteriri aliosque eligi, non perperam colligitur.

Sed et alii absentiae vasalli effectus, non ob libelli angustos fines, pertractandi, sed delibandi sunt. Petenda est a curatore, (procul dubio feudali), necessario sub poena arbitraria dilatio, quae a propinquis vel simul inuestitis sponte peti potest. Quiescit, donec reuertatur absens, tam primae, intuitu scilicet feudi constituti inuestiturae, quam eius renouationis officium et fatale demum *) a tempore, quo redux est, quod vel rite demonstrandum, vel iureiurando assue- randum est, currit. Quiescunt seruitia, vasalli praesentiam exigentia, salua hostenditiarum vel praestationis vicariae necessitate. Quiescit feudo absentis a domino vel alio occupato, praescriptionis effectus et reduci pro absentiae discrimine, tempore praescriptionis elapso, datur actio rescissoria, successorii vero singulari praescriptio plane non currit, nisi a tempore scientiae mortis verae vel praesumptae inchoetur finiat-urque. Potest feudum diuisibile procuratore ab absente relicto, vel hoc deficiente, curatore a domino dato, diuidi, nec socius, vt in com- munione perseueret, potest compelli. Reseruanda est a curatore con- iuncta manus, neque tamen negligentia absentis, ob beneficium resti- tutio-

*) Tit. II. §. 2.

*) R. P. M. Tit. II. §. 4.

tutionis in integrum nocet. Feudum absentis ob debitum feudi reale legitime subhastatur, nec potest creditorem absentiae fauor, quominus hypothecarie agat, executionem peragendam curet, et ita securitatis fruatur beneficio, impedire. Vxor absentis vasalli alimenta ex fructibus feudi optimo iure capit, non vero dotalitium vel dotem ex ipso petit, nisi post mortem mariti veram praesumtamue. E contrario filia, conditionem nubendi inueniens, dotem ex feudo vel patre praesumptiue viuo efflagitat et alimentis interim est instruenda, non vero legitimam, nisi de morte patris vera vel praesumpta constet, exhausto allodio, ex feudo nouo efflagitat. Conueniunt mortis praesumptae termini et effectus intuitu vasalli fere in omnibus cum iis, quae a Respondente doctissimo sunt erudite enarrata, vnicum addo. Contingit a momento mortis praesumptae separatio feudi ab allodio. Hoc heredi tunc temporis proximo, successori singulari illud addicitur. Inter hos haud raro lites de fructibus exoriuntur. Intuitu industrialium et naturalium inter mortem praesumptam et naturalem vix aderit differentia. Sed num intuitu ciuiliu, praeter pensionem, beneficium triginta dierum ex constitutione Augusti *) competat heredi allodiali, lubrica quaestio est. Hoc ego quidem priuilegium heredi intuitu mortis verae datum, vix posse ad mortem ex senectute vel absentiae diuturnitate praesumptam extendi, putarim, partim ob strictam iuris singularis interpretationem, partim etiam ob summam rationis disparitatem. Heres absentis praesumptiue mortui fructus plerumque per vicennium et quod excurrit, lucratur. Heres e contrario post mortem naturalem paucos fructus percipit. Huic igitur flebile beneficium in solatium successionis feudalis denegatae concessisse videtur AVGVSTVS ELECTOR, non illi, quem saepius lucrum ipsa feudi aestimatione maius sequitur.

Sed plura addere iam non licet. Indicandus potius nunc est actus solemnis, qui huic qualicumque commentationi occasionem dedit. Rediit ad nos praestantissimus Candidatus,

FRIDERICVS GVILIELMVS ROSZTOCK

VARSOVIENSIS

qui iam ante triennium, finito cursu academico, examen cum laude sustinuit.

*) Const. 32. P. III.

sustinuerat primum. Viam quam ingressus erat ad summos honores persecutus examine quod vocatur rigoroso Ordini nostro in iure, qua pollet, peritiam ita comprobauit, vt illum dignitate Doctoris, praeuio ultimo specimine, condecorandum esse vnanimi suffragio censuerimus. Vitae et studiorum rationes ipse ita reddit:

*P*atria mihi est *Varsovia*, celeberrima illa *Poloniae* metropolis. Natus ibi sum *A. R. S. MDCCLIII. patre CHRISTIANO AVGVSTO*, *Serenissimi Electoris Saxoniae Capitaneo et deinde etiam cursibus publicis praefecto Wurcenensi*, iam ante aliquot annos praematura morte mihi crepto, matre autem adhuc superstite *CATHARINA AGNESIA*, e gente nobili de *SPERLING*, quorum in me educando fidem, amorem atque beneuolentiam digne laudare me non posse, ingenue fateor. Puerile ingenium formauerunt domestici praeceptores, quorum disciplinam grata mente recolo. Finito illo, quod septem durauit annos funesto bello, cum pater e *Polonia* in *Saxoniam* cum familia commigrasset, sedemque *Wurcenae* certam fixisset, traditum me primum institutioni *TEUCHERI*, *A. M. Viri Cl. Rectoris Scholae eiusdem urbis* optime de me meriti, atque *SCHLETTERI* domestici praeceptoris, neque sic praeparatum misit, deinde in scholam prouincialem, quae *Grimmae* floret, ubi per quinque annos praeceptorum integerrimorum disciplina usus sum, quorum omnium doctrinam et fidem laetabundus commemoro, quorumque merita nullo vnquam tempore ex animo dimittam. In primis mihi semper cara erit recordatio *MÜCKII*, cuius beneuolentiam lubentissime dignis extollerem laudibus, nisi illis esset longe superior. Exaeto ibi quinquennio, cum *Academicis studiis* idoneus iudicaret, anno *LXXII. Lipsiam* accessi, ciuitate *Academica* donatus a *BORZIO*, *h. t. Rectore*. Hic elegantioribus primum litteris

b

operam

operam daturus, ex quibus plurimum adiamenti accedere ad omnes reliquas doctrinae partes ab idoneis auctoribus audiueram, hanc studiorum rationem tenendam existimaui, ut iuris studio, ad quod animum adiunxeram, accuratam humaniorum litterarum cognitionem perpetuam quasi comitem adiungerem, adiuncto a patre mihi studiorum comite OPIZIO A. M. Viro Cl. pastore nunc Lorenzkirchenfi, amico mihi semper aestumatissimo. Eo consilio celeberrimorum virorum BELI, ERNESTI, MORI, CLODII, ECCII, aliorumque scholis diligenter interfui. In philosophia uniuersa audiui PLATNERVM, cuius et scholas anthropologicas quin et praelectiones in medicinam forensensem frequentavi. BORZIVM audiui matheos praecipua tradentem. Vocavi deinde B. CRYSIO, religionem ex physica et historia illustranti, inprimis autem usus sum Doctore ERNESTIO, summo nuper Lipsiae ornamento, quem historiam Catholicam, Archaeologiam, antiquitates Romanas et libros aliquot N. F. explicantem, non sine insigni emolumento audiui. In historicis BURSCHERVM, BOEHMIVM et WENCKIVM secutus sum. Cum me autem Iuris studio dedissem, HOMMELIANAS praelectiones, nec non ZOLLERI, SEGERI, SAMMETII in ius legationum, SCHOTTII, et KINDII Scholas adii, siue super historia iuris differerent, siue Institutiones et Pandectas explicarent, inter quos Illustr. SCHOTTII, insignem in me beneuolentiam gratissimo semper agnoscam animo, ex cuius praelectionibus in ius naturae, Institutiones, Pandectas iuris Encyclopaediam, ius Canonicum atque Germanicum fructuosa locupletatus scientia semper redii, B. autem FRANCKIVM, ius publicum praelegentem audiui.

In Lipsiensi Academia quadriennio ita feliciter peracto, cepit me desiderium videndae Vitembergae. Igitur matre liberaliter annuente, ad eam studiorum uniuersitatem me contuli anno MDCCCLXXVIII. cum Illustris WIESANDIVS sceptrum Academiae teneret, cuius scholis, ut etiam aliorum Virorum Illustrium et

et meritorum fama celebratissimorum, permulta me debere libentissime fateor, scilicet inter fui CHLADENII, (quem nuperrime vita beate defunctum, tota luget Academia totusque litterarum orbis) praelectionibus in ius publicum, KRAVSIVM, atque FISCHERVM, processum iudicalem profitentem summo cum fructu audiui. Neque vero minora me debere profiteor Viris excellentissimis et Iurium Consultissimis, REINHARDO, KLÜGELIO et HOMMELIO. REINHARDVS quidem docte et facunde ius feudale mihi exposuit. KLÜGELIO artem referendi ex actis debeo. HOMMELIVM doctrinam Pandectarum vniuersam tradentem, deque actionibus forensibus rite instituendis, differentem, maxima cum voluptate, audiui, qui etiam examinibus priuatissime mecum in omnem iurisprudentiam institutis, praecclare de me est meritus. Obstrictissimum me vero sentio Ill. WIESANDIO ob multa egregie ab eo mihi tradita, inter quae ius Germanicum, gratissimus refero, quem etiam me in relatoriis, ducem maxime suspiciendum, et Praesidem disputationis, super quasdam Observationes iuris, publice institutas, grauissimum habuisse, semper grata mente recordabor. Quin et Excell. EBERTI Matth. Prof. summam in me benevolentiam summamque humanitatem silentio praetermittere haud possum, quem aequae ac Cel. SCHROECKHAVM, a quo historiam saxoniam percepi, summo semper studio venerabor. Antequam vero abitum ex Academia pararem, ut fructus quosdam operae, doctrinis addiscendis hucusque impensae, colligerem, consueta subii examina pro praxi, notariatu et iuris candidatura et ab illustri Ictorum Ordine comprobatus fui. Viteberga discedens in praefectura dioeceseos Haynensis ad Acta iuratus, rebus iudicialibus et forensibus ibi obuenientibus, quantum poteram, vacavi, ubi quoque specimen ex Actis publicis ad consequendum munus caussarum patroni confeci, et paullo post a summo Regimine Prouinciali Electorali Saxon. in numerum Aduocatorum receptus, et ad Notarii munera rite ob-

eunda

eunda admissus sum. Ingratissimus denique iudicaretur, nisi summam Amplissimi Senatus Lipsiensis erga me benevolentiam, quam singularem in modum expertus sum, publice praedicarem. Annuuit enim Illustris ille Ordo precibus meis humanissimis, mihi que munus Registratoris demandauit, quo per duos annos et tres menses functus, sponte abdicavi. Humanissimas igitur decentissimasque Illi imprimis, atque etiam Viro Illustri atque summe Reuerendo de WINKLER, Facultatis Iuridicae nunc Ordinario, patrono mihi semper pie colendo, ago habeoque gratias me semper istius insignis fauoris memorem fore, sanctissime promitto, et quam commendatissimum esse cupio.

Iam vero id agit Candidatus dignissimus, vt Dissertationem inauguralem, de cura bonorum absentis, proprio Marte conscriptam, Praeside Viro illustri et consultissimo, Collega summo opere colendo, GEORGIO STEPHANO WIESANDIO D. Inst. P. P. O. curiae prouincialis Facult. iurid. et Scabinatus Assessore meritissimo, futuro die XVI Martii publice defendat. Huius diei celebritatem, vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PATRES CONSCRIPTI, GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES, atque OMNES, qui bonis litteris fauent, praesentia augeant atque ornent, et meo et Ordinis nomine, omni qua par est, obseruantia rogo. P. P.



Wittenberg, Diss., 1781-82




f

Sl.

✓ Dn 8





18
4, 404
1782 11

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T.
DECANVS
IOANNES CAROLVS GEBHARDVS
REINHARDVS D.

PROFESS. IVRIS FEVDALIS CVRIAE PROVINCIAL.
IN LVSAT. INF. ET FACVLT. IVRID. ASSESS. ORDIN.

LECTVRIS

S. D. P.

Di. Kaffallo abhente...

1782